196

MARTINUS FRIDERICUS Frieß/
Phil. & Med. D. Facult. Medicæ Senior,
& Prof. Publ. ac p. t.

# PRO-CANCELLARIUS.

*L. S.*

# Deo Fortunante!

QVanqvam Medicinæ,Medicorumqve digni-
tas à Mortalibus nonnullis inſuper habetur;
Maxima tamen Artis prædictæ eſt neceſſi-
tas, nec minor Medicorum autoritas: Illius
neceſſitatem qvod concernit, evincit ean-
em ſumma in hâc vita utilitas; cùm enim homines mul-
s infirmitatibus ſeſe obnoxios animadvertebant, ea inqvi-
vêre præſidia, per qvæ reconvaleſcere, aut ſani perſiſtere
oſſent; è qvibus ſimul Medicorum elucet autoritas, ſive
nim adverſa emendent, ſive proſpera moderentur, ubi-
ve qvaſi *Semideos* ſeſe oſtendant, ita qvidem, ut ab Illorum
rbitrio (ſi *Plinium* allegare fas eſt) fata hominum depen-
ere videantur. Et hanc ob rationem ab ipſo *Hippocrate*, *lib. de dec.*
Medicus vocatur ἰσόθεος, qvod tamen certo reſpectu adſe- *ornat.*
ere, nobis piaculo ducimus. Rectiùs multò ſummus il-
e *Scaliger* appellat iſtos, Sanitatis & Vitæ Magiſtros, his *lib. 3. de R. P.*
erbis: *qvod aramus, qvod ædificamus, ea omnia ad Vitæ finem
iriguntur, cujus Magiſter eſt Medicus.* Et *Panarolus* de utro- *Pentec. 1.*
qve ita diſſerit: *Qvis neſcit Medicum ad omnes totius Civitatis* *obſ. 33.*
*rdines, ad omnem ſexum, ad omnem ætatem pertinere; cùm
Summatibusq́; Infimatibus, Viris, Fœminis, Senibus, Pueris, ægro-
are contingat: cùm omnes ex hoc Sanitatem indiſcriminatim pe-
ant, meritoq́; dici poteſt, Medicum communem terrarum eſſe Ma-
iſtrum; & profectò, ſi vera reſpicimus, ſi cuncta curioſè perpen-
imus, ſolâ Medicinâ, ſoloq́; Medico opus eſt omnibus.* Ab aliis no-
minantur *Naturæ Miniſtri*, non qvod ita ſimpliciter Sanita-

 tem

tem producere, ſed potius Naturæ opem & ſuppetias ferre ſoleant. *Etenim, Natura & Medicus*, juxta *Galenum, eorum, qvæ corpori humano boni cauſa ſunt, Autores exiſtunt; ſunt tamen alia Naturæ, alia Medicis negata & conceſſa. Illi qvidem impoſſibile eſt, ita os confractum, ne ejus partes à nativâ ſede aberrent, membrumq́ diſtortum maneat, corrigere & conformare, qvod his non impoſſibile; pariter luxatum os hic reponere, illa minimè potis eſt; contra, cavum ulcus carne replere illa præſtat, hic minimè &c.* Nonnulli dixerunt *Medicum Naturæ adjutorem, Spectatorem* & *Imitatorem*: *Adjutorem* qvidem, qvatenus impeditæ vel debilitatæ opem fert, mancaqve & inchoata opera perficit: *Spectatorem*, qvando naturam rectè & ſufficienter operantem adſpicit, neq; in actione impedit, id qvod potiſſimum in Criſi perfectâ contingit: *Imitatorem*, qvando vel in tuendâ ſanitate, vel in debellandis morbis eandem rectè agere obſervat, imitatur, & conſilio ſuo omnia ita dirigit, ut unicam ſanitatem pro ſcopo agendorum, ſibi proponat. Interdum (uti jam ex *Galeno* audivimus) Naturam etiam Medicus ſuperat, præſertim in operationibus Chirurgicis, v. g. oſſium luxatorum repoſitione, labiorum leporinorum adductione, Cancri eadem occupantis exſtirpatione, Polyporum extractione, diſtortorum crurum, uti in Varis & Valgis διορθώσει, Uteri prolapſi reſtitutione &c. Sentiant itaqve, qvicqvid velint, qvi ſupra vulgus non ſapiunt, & Artium nobiliſſimam, qvam ipſi ignorant, neſcio qvo odio proſeqvuntur, & deſpectui habent; minimè tamen apud cordatiores ejus veneratio exolebit, qvin potius pro Dea Servatrice, vel rectius pro dono divino coletur. Verùm, qvantò utilior eadem Reipublicæ eſt, tantò qvoq; eſt difficilior, atqve ob Subjecti, qvod tractat, nempe Corpus humanum, qvatenus Sanitati vel Morbis obnoxium, Nobilitatem, non proletaria vel ſuperficialis, ſed accuratior

*cap. 12. d. Conſtit. Art.*

ior cognitio reqviritur: qvam in rem veriſſimè *Hippocra-* *lib. de Arte.*
*s; Medicum*, inqvit, *qvi ſufficerit ad cognoſcendum, ſufficere tiam ad ſanandum.* Proinde *Capivaccius*, inſignis olim Pro-
eſſor Patavinus, cuidam ſtudioſo Polono, expetenti ipſius
rcana, haut inſcitè reſpondit: *Lege meam Methodum & ha-
ebis mea Arcana*: innuere volens, cui Morbi Eſſentia cum
iis cauſis cognita, cui Medendi ratio, & ſimplicium, alio-
umqve Medicamentorum facultas nota, ei haut opus
ompoſorum nominum Arcanis: his enim cognitis Mor-
i (ſi modò non per ſe incurabiles, impoſſibilia enim non
unt Artis) levi manu, paucisqve præſidiis expugnari poſ-
int. Hinc egregiè *Clariſſ. Hoffmannus* infert, *qvod in Navi* *lib. 1. J. M. c. 7.*
*avus eſt, id in arte Medicâ eſt cognitio, & qvo qvis melius cogno-
it, eò felicius curat, tantum enim erramus in curatione, qvantum
erravimus in cognitione.* Habemus hîc conſentientem
*ornelium Celſum*, dum ita ſcribit: *Is rectè curaturus eſt, qvem
ima origo cauſæ non fallit.* Licet autem hæc omnia ita ſe
habeant, non tamen ſemper eſt in Medici poteſtate, ut
ger relevetur; id qvod fit, vel ob morbi contumaciam,
uſæqve ignorantiam, vel cauſæ cognitæ impoſſibilem
motionem, aut ab aliis concauſis difficilem diſcretio-
em, vel ægrotantis contumaciam, & ſummam naturæ
oſtrationem. Eleganter ergò *Auguſtinus: qvantum in
edico eſt, debet ſanare ægrotum, ipſe verò ſe interimit, qvi præ-
pta Medici obſervare non vult.* Propterea nec culpandus,
ultò minus puniendus eſt Medicus, modò ritè partibus
is defungatur, hoc eſt, præſtet ea, qvæ debuit ſecundum
rtis poſſibilitatem: in hoc enim communem omnium
rtificum ſortem experimur, qvos nemo ſanæ mentis re-
æhendit, ſi qvandoqve ob certa impedimenta, finem
ternum minimè aſſeqvuntur; ſufficit, qvod internum,
i eſt de Artificis poteſtate, ſemper obtineat, alias titulo

 artifi-

lib. 1. Topic. artificis fruſtrà ſuperbit. *Nec enim,* uti habet *Ariſtoteles, is Orator eſt, qvi perſvadet, ſed qvi omnia pro re natâ affert, qvæ ad perſvadendum apta ſunt: pariter Medicus eſt, non qvi omnia ſanat, ſed qvi conqvirit anxiè omnia, qvæ ad recuperandam ſanitatem facere poſſunt:* & hoc ſenſu *Plato* etiam artem Medicam cum Rhetoricâ comparat, in qvantum ſcil. finem internum, qvi de ipſius poteſtate eſt, adipiſcitur. Antea laudatus *Hoffmannus* comparat etiam cum Politica, arte nauticâ (l. c.) ſcientiâ bellicâ, Mercatoriâ, Venatoriâ, Agriculturâ; ſic enim pergit: *fortaſſe deſideras ſcire, qvæ ſint artes Rhetoricæ & Medicinæ ſimiles? Politica imprimis, neq; enim Politicus ille eſt, qvi Rempublicam ſervat, ſed qvi omnia præſtat, qvæ ad conſervationem Ipſius faciunt: nec is Nauclerus eſt, qvi Navem feliciter ad portum perducit, verùm qvi facit, qvæ ex arte debet, ut ſi per Ipſum ſtet, omninò navis ſalva appellat &c.* Ergò, *ſi Medicus* (lib. 7. benef.) *qvoq; omnia fecit, ut ſanaret,* (ſunt verba *Senecæ*) *partes ſuas jam peregit;* & juxta *Averrhoëm,* (lib. 1. Coll. 1.) *Medicina eſt ars, in qvâ qværitur conſervatio Sanitatis corporis humani, & remotio ægritudinis, ſecundum qvod poſſibile fuerit, in qvolibet corpore; qvia finis artis iſtius non eſt ad ſanandum omnia, ſed ad faciendum illud, qvod fieri poteſt:* Qvicunqve igitur Valetudinem ſuam Medico concredunt erudito & experto, ſeu vivant, ſeu moriantur, glorioſè virunt caduntqve. Sunt qvidem, qvod meritò dolendum, plurimi, qvi divinâ hâc arte abutuntur, dum Illam exercere non verentur, qvam tamen Ipſi nunqvam ex fundamento didicerunt, qvibus etiam à multis ſtatim creditur, qvamvis ſit periculum in nullo mendacio majus: de talibus *Helmontius* ita conqveritur: (Tumulo Peſtis p. m. 831.) *In nullo majorem Licentiam, temeritates ampliores, crudelitates crudeliores, tenebras denſiores, ac confuſiones freqventiores offendi, qvàm in munere nobiliſſimo, in qvo cuiq; liberum eſt occidere, ſi homicidium ſubſidii pallio ſit involutum & occiſus terrâ tegatur.* Qvæ tamen de illis

minime

minimè dici poſſunt aut debent, qvi ſecundum artis præſcriptum Ægrotantium curam inſtituunt; h. e. qvi ſpeciem Morbi, partem affectam, cauſam affectus, & vires ſeu ſtatum ægri benè conſiderant, indeqve indicationes deſumunt, & ſecundum eas convenientia adhibent remedia in ſuperqve in pharmacorum uſu & legitimam qvantitatem & decentem utendi modum, ut & opportunã exhibendi tempus diligenter obſervant: hujusmodi ergò medici pro verè eruditis & peritis ſunt habendi, qvorum etiam curæ qvilibet tutò corpus ſuum in morbos proclive, aut jam prolapſum concredere poteſt.

Horum conſortio adſcribere non veriti ſumus, Virum Juvenem Excellentem atqve Clariſſimum,

## DN. JOHANNEM DANIELEM SCHMOLLERN,

Salzungâ Thuringum, Medic. Baccal. & Phyſicum Schmöllenſem,

Qvi, poſtqvam per aliqvot annos in hâc præſertim noſtrâ Philureâ, ſtudio Medico indefeſsè operam navavit, dum non ſolùm inter privatos parietes ex autoribus ſelectioribus principia & fundamenta neceſſaria acqviſivit, ſed etiam Lectiones Profeſſorum publicas, nec non Collegia privata ſeduló viſitavit, ſolidam rerum Medicarum notitiam ſibi comparavit; qvam Nobis non ſolùm in Examinibus, qvibus ſeſe ſubjicere non erubuit, ſed & Lectione publicâ ſolenniter hunc in finem habitá ſufficientem comprobarit, ulteriusqve in Diſputatione inaugurali de Palpitatione Cordis, cras, Deo volente, publicè in loco conſveto habendâ, omnibus præſentibus probabit. Ut itaqve eruditionis ſuæ Teſtimonium, Laborumqve præmium aſſeqvatur, Gratioſa Facultas medica dignum Ipſum judicavit, cui LICENTIA ſum-

ſummos in arte Medicâ aſſumendi honores, qvos Doctorales vocamus, tribueretur. Finitâ itaqve Diſputatione publicâ, in eodem actu à me, cui à Reverendiſſimo ac Celſiſſimo Principe ac Domino, Domino CHRISTIANO, Duce Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Poſtulato Adminiſtratore Epiſcopatus Martisburgenſis, Landgravio Thuringiæ, Marchione Miſniæ & utriusqve Luſatiæ, Comite in Marca & Ravensberg, Dynaſtæ in Ravenſtein &c. CANCELLARIO hujus Academiæ perpetuo, Domino meo Clementisſimo, munus PRO-CANCELLARII clementisſimè ad hanc promotionem demandatum eſt, Licentiæ Medicæ gradu, honore ac dignitate ſolemniter ornabitur. Quam Panegyrim, ut Magnificus Academiæ Rector, Per-Illuſtris Comes à Tauben/ Utriusq; Reipublicæ Patres conſcripti, & qvicunqve Arti noſtræ favent, aut eidem ſe conſecrarunt, honorificâ ſuâ præſentia condecorare, adeoqve ſplendidiorem, commendatioremqve reddere non dedignentur, officiosè rogamus: ad reciprocum gratificandi atqve inſerviendi ſtudium promtisſimè nos obligantes. P. P. Lipſiæ Feſto Aſcenſionis Domin. A. O. R. M. DC. LXXX.

---

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.